



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Hedwigis Dvcissa. 15. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

no (pellis credo caprina erat) parens filio mercatus esset, detestatus hic impia munera adeoque jam se etiam, longè fugere statuit partas malè dignitates, & paternum facinus in se vindicare. Ad hoc commodissima visa est solitudo, & in hâc virorum societas, qui austeram cumprimis rationem vivendi sequebantur. Nempe his unum totâ ferè vitâ jejunium, deliciae die Solis Iovisque pultes, cibus per reliquam hebdomadem solus panis erat. Nam de potu quid dicam? aquam lacrimis miscbant. Iam loqui semel in septimanâ dabatur, cædere verò flagris sæpius in die se, sæpius cædi ab aliis mos receptus jam fuerat. Hæc omnibus tunc communia, at DOMINICO nostro peculiarior illa ajunt: nudam carnem lorica ferreâ onerare, itaque in vigiliis sanctis noctes dies perstare; tum his quotidie Regii Vatis carmina cantando decurrere, manu interim utrâq; virgis armatâ mensuram imperante. Durum, ais, est nimis sic vivere. At sic vivendo virgo vixit DOMINICVS, & ut tales vos vivatis, Sodales Parthenii, testamento arma vobis sua legavit. *Ex Lipp.*

S. HEDWIGIS DVCISSA.

15. Octobris.

IN regium te gynæceum introducimus. tamen terreat, si ad limina pau-

pauperes excubent : HEDWIGIS in-
 tus habitat, quæ ex illustri Andecen-
 sium Comitum & Tyrolensium stirpe
 Henrico Polonorum Duci nupta, pri-
 mos annos liberis procreandis, reli-
 quum deinde vitæ tempus, non invito
 conjugæ castitati dedit, maluitq; à pau-
 perum jam turbâ, quàm Regum mater
 dici. Ex illis tredecim quot diebus me-
 sæ adhibuit, flexo poplite in iis Christi
 ac duodenas Apostolos adorans. Ajunt
 multos ex iis, unpositâ capiti VIRGI-
 NIS MAGNÆ icunculâ, valetudini re-
 stitutos ab HEDWIGE. Certè inven-
 tam VIRGINIS effigiẽ multis ab obitu
 annis inter digitos tres primores eorũ
 integros asseverant, magno sive HED-
 WIGIS in VIRGINEM, sive VIRGI-
 NIS in HEDWIGEM voluntatis testi-
 monio. Porrò tam dura sibi, quàm be-
 nigna aliis, pedes ferè nudos etiam hy-
 berno tempore circumferabat, indor-
 miebat asseribus, corpusculum & ipsa
 verberabat, & quod pauci volunt, ver-
 berari ab aliis volebat. Sacerdotibus,
 quotquot denique faciebant, quotidie
 omnibus assistebat, nullas alias volup-
 tates unquã sectata, quàm quæ preces
 inter animũ demulcebant: quarũ quidẽ
 ingens argumentũ fuere nũc prodigio-
 sus in vultu splendor, nunc cum animo
 suo in aere etiam corpus abreptum. Et
 fuit, cum sic precanti è cruce benè ultro
 Chri-

16. OCT. *Vite Sanctorum.* 567

Christus precaretur, & rata omnia vota ejus haberet. Horum scilicet compendium cælum erat, quod ingressa est HEDWIGIS inter Theclæ & Catharinæ aliarumque Virginum comitatum, ut & tunc Principem crederes. *Ex Sur.*

S. GALLVS ABB. 16. *Octobris.*

GALLVS ad Laci Brigautini incolas Columbano duce venit, quem in literis & pietate magistrum habuit. Hic permultis auctor fuit, damnatâ superstitione, ad Christi partes transfrendi: ipse antra silvasque à colubris & lemuribus purgatas melior hospes coepit incolere, comneatum sapius cælo suppeditante. Et fortè preces Numini faciebat, cum ursus adfuit pauperis coenæ reliquias populaturus. Sed jubet GALLVS lignû potius fur comportet, eoque focum foveat. Facit ille imperata, & in laboris stipendium panem capit. Tum Divus cum eodem ita paciscitur, communè uterque montem haberent, cæterum nemini deinceps mortalium ursus noceret. Has inquam leges homo tulit, & sacrosanctas fera habuit. Vidit hoc & invidit orcus, omnique vi pellere GALLVM est aggressus. Sed facile hic iterum in fugam versipellè hostem egit, victor trophæum Crucis erexit, & praesidiû sacra Divorum lipsana imposuit. Quin longius